



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Capvt VI. Ex a Pœnitentiali Romano.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

CAPVT IV.

a Item.

SI læserit quispiam agrum, vel vineam, & dimiserit iumentum suum, ut pascatur aliena, quidquid optimum habuerit in agro suo, vel vinea pro damni æstimatione restituet.

NOTÆ.

- I. a Item.) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 5. & textus hic reperitur in ipso cap. 22. Exodi, ubi legitur: *Si læserit quisquam agrum, vel vineam, & dimiserit iumentum suum, ut pascatur aliena, quidquid optimum habuerit in agro*

suo, vel vinea, pro damni æstimatione restituet. Raymondus autem ut præsentem textum conformem redderet juri Cæsareo, posuit pro damno, æstimationem restituet, juxta legem ultimam, Cod. ad leg. Aquil. quomodo tamen hoc damnum æstimetur, exponit Otero de pascuis cap. 13. per tot.

CAPVT V.

a Item.

SI egressus ignis invenerit spicas, &prehendit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succendit.

NOTÆ.

- I. a Item.) Etiam ita legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 6. & reperitur hic textus in cap. 22. Exodi, ubi legitur *spinas, non spicas, ut in præsentem.* Quam lectionem probant Cornelius à Lapide ibi, versu 6. & ita jubet lex hæc, ut si quis negligentia sua igni à se excitato malè advigilarit, nec caverit, ne proserperet, itaque factum sit, ut ignis spinas, quæ segetem sepiebant, atque exinde ipsam segetem corripuerit, teneatur de damno.

lib. 5. sent. tit. de incendiariis, ibi: Fortuita incendia, quæ casu venti succendunt, vel incuria ignem supponentis ad usque vicini agros evadunt, si ex eo seges, vel vinea, vel oliva, vel fructifera arbores concrementur, datum damnum æstimatione sartiat. Ulpianus lib. 8. de offic. Proconsul apud Pariatorem legum Mosaicarum: Sed ei, qui non datâ operâ incendium fecerit, plerumque ignoscitur, nisi in lata, & incauta negligentia, vel lascivia fuit. Paulus lib. singulari de penis, apud eundem Pariatorem, ibi: Fortuita enim incendia ad forum remittenda sunt, ut damnum vicini sartiat. In legibus Wisigoth. in l. ult. tit. 2. lib. 8. ita legitur: Qui ignem apposuerit spinis, stipulis, & tribulis, ad coquendum cibum, vel frigus arcendum, si ignis longè diffusus alienam messem, domum, vineam incendiderit, non duplum, sed æquum præstare tenetur. Explicant, & illustrent Sesse tom. 2. decis. 211. Pitheus in collat. legum Mosaicarum. tit. 12.

COMMENTARIUM.

2. INCENDIUM committitur dolo, culpa, aut casu. De incendio dolo, aut culpa commissio egi in cap. excommunicamus de raptoribus. De incendio casu admissio agitur in præsentem, & jubetur, ut damni æstimatione restituatur. Consonant Paulus

CAPVT VI.

Ex a Pœnitentiali Romano.

SI quis domum, vel aream cujuscunque incenderit voluntariè, sublata, vel incensa omnia restituat, & tres annos pœniteat.

NOTÆ.

- I. a Pœnitentiali.) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. final. & ex eodem libro citatur textus hic à Burchardo lib. 19. Decre-

ti, cap. 136. Carnot. part. 5. Decreti, cap. 146. & reperitur in ipso Pœnitentiali, tit. 4. cap. 20. De auctoritate hujus libri egi in cap. 3. de furtis: & de pœnis incendiarii in cap. excommunicamus, de raptoribus.